QUID APUD MILLIUM SPENCERUMQUE

DE

EXTERIS REBUS

DISSERENTES

SIT REPREHENDENDUM

THESIM

Facultati Litterarum Parisiensi proponebat
ad gradum doctoris promovendus

JULIUS PAYOT

AURELIANI
EX TYPIS GEORGES MICHAU ET C^ie
Viâ Dictâ Vieille-Poterie, 9

MDCCCXCV

QUID APUD MILLIUM SPENCERUMQUE

DE

EXTERIS REBUS

DISSERENTES

SIT REPREHENDENDUM

QUID APUD MILLIUM SPENCERUMQUE

DE

EXTERIS REBUS

DISSERENTES

SIT REPREHENDENDUM

THESIM

Facultati Litterarum Parisiensi proponebat
ad gradum doctoris promovendus

Julius PAYOT

AURELIANI
Ex Typis Georges MICHAU et Cie
Viâ Dictâ Vieille-Poterie, 9

MDCCCXCV

MAGISTRO MEO

VICTORI BROCHARD

In Parisiensi Litterarum Facultate

acceptæ disciplinæ

memor

HOC OPUSCULUM

D. D.

JULIUS PAYOT

CARISSIMO CAROLO VACHEROT

In Aurelianensi gymnasio egregio Professori

maximas gratias refero

quod librum meum diligentissimâ curâ emendavit.

PROŒMIUM

Sæpe nobis cujusdam gentis philosophos evolventibus fit ut intelligamus post multos conatus metam tangi et cursum perfici, cum non apparet quid sit secuturum. Plerumque excellenti ingenio contingit hæc ingens gloria ut omnes res antea inventas in se uno exprimat et quasi ad fastigium extollat. Sic Aristoteles in semetipso totam Græcam philosophiam exprimit atque perficit, sic Leibnitius totam a Cartesio natam doctrinam. In Britanniâ autem illa magna series, quæ Lockium et Berkeleium, Humium et Hamiltonem, et Caledonios philosophos amplectitur, mirè a Millio Spenceroque concluditur et perficitur; ut illi duo viri, qui ad omnia elaboranda et concoquenda erant maximè nati, Britannicæ philosophiæ auream ætatem finire videantur.

Itaque existimavimus dignum esse nostrâ operâ quærere quid illi senserint de exteris rebus quomodo cognoscantur, quippe cum eorum doctrina Britannorum de hâc re doctrinæ tanquam flos delibatus appareat.

CAPUT I

I. — Utrum exteræ res, quas percipimus, reipsâ existant necne, Millius et Spencerus pari diligentiâ inquisiverunt, sed ei quidem qui rerum speciem tantummodo intuetur, omnino dissimilia et inter se contraria concludisse videntur, cum Spencerus philosophos impugnet, qui exteras res nihil aliud nisi mentis perceptiones esse credunt, doctrinamque rursus, quæ perceptis rebus aliquid ignotum et absconditum supponit, non sine aliquo legentis fastidio per ducentas paginas expromat explicetque, non tam disputans quam pugnans, ita ut omnia argumenta, qualiacumque sint, colligat; Millius autem contra eum fortiter obsistat et loco potitus quem elegerit, victor evadat. At jure dixeris, quod mirum videtur, Millium haud penitùs intellexisse quod ipse professus sit, siquidem non animadvertit doctrinam suam minime consentire cum τῇ ἐμπειρικῇ, quam laudat et amplectitur. Quo fit ut, cum exteras res tantùm e mentis perceptionibus constare credat, quoties de rerum verâ naturâ agit, tum maxime doctrinâ, quæ perceptis rebus aliquid ignotum et absconditum supponit, imbuatur, quippe qui existimet mentem rebus informari, quod nullo modo fieri posset, nisi res ante ipsam mentem existerent. Quid autem magis doctrinam, cui exteræ res nihil aliud nisi mentis perceptiones esse videntur, refellere et denegare valet ?

II. — Ceterùm, quamvis audax videar cum tale propositum defendam, haud dubito, quoniam hujusce rei testimonium habeo, profiteri nec Millium nec Spencerum rem de quâ agatur penitus intellexisse, ingentique ingenio præditos in hâc materiâ quasi cæcos fuisse, utpote qui illam quæstionem cum hâc, scilicet quomodo toto genere omnia cognoscamus, arctissimis vinculis conjungi minimè animadverterint.

Sic uterque dissimili viâ, pari in errore versabuntur, cum disserent de exterarum rerum unitate, quæ cum ipsâ mentis unitate confunditur (1).

III. — Nec magis animadverterunt hanc quæstionem ad mores magnopere pertinere, cum quales exteræ res reverâ sint dicere non possimus, quin simul hanc aut illam doctrinam consequamur, quoties profiteri oportet unde fiat ut rationis principia sint necessaria. Itaque Millius Spencerusque non plane viderunt hanc de exteris rebus quæstionem esse de rationis naturâ quæstionis aliquam partem, aut potius unam esse in philosophando quæstionem, scilicet de omnia cognoscendi modo. Quare eorum tota doctrina ex variis opinionibus constat, arenæ sine calce similis, quia rebus tantùm, quas percipimus, addicti, nec ullam adhibentes scientiam quæ supra quasi corpoream naturam emineat, quæcumque imprimis in res μετὰ φυσικὰς cadant, perpendere ac dijudicare nequeunt. Etenim cum

(1) Mill. *Philosophie de Hamilton*, trad. franç.. p. 239, 249, 250. Spencer, *Psychology*, § 469.

perceptis rebus tantummodo studere profitentur, circum res, ut ita dicam, ludunt, nedum res ipsas introrsum perspiciant.

Quod quidem apparebit, postquam utriusque philosophi doctrinas quasi excutientes, singulis eorum propositis explanandis operam dederimus.

CAPUT II

IV. — Optime intellexit Millius quo modo res agi deberet. Vidit enim fidem, quæ exteris rebus sit adhibenda, ad περὶ τῆς ψυχῆς scientiam pertinere. Profitetur igitur, et quidem jure, ut opinor, nos rebus extra nosmetipsos existentibus non fidere, nisi propter quamdam fidem illatam, non innatam.

Si quis, ait, quomodo hæc fides sit formata scire volet, satis erit duo mentis modos intelligere, scilicet *exspectationem* et *cogitationum juncturam*; quarum altera alteram, ut solet, adjuvans, nostram consciam mentem ad id adducere valet, ut rebus extra nos existentibus fidat, nedum opus sit nescio quâ re extra nos existente, quæ hujus fidei rationem præbeat, et quæ nostrî sit omnino dissimilis, et quam cognoscere nobis non liceat, ut ea est quam Spencerus fingit.

V. — Unde enim orta est, et ex quo facta illa rei cujusdam extra nosmetipsos existentis notio, quæ non est una ex nostris propriis perceptionibus ?

Scilicet « arbitramur inesse aliquid in rebus a nobis « perceptis quasi implicatum, quod exsistat etiam nobis non « de hoc cogitantibus, et exstiterit antequam de hoc cogita-

« verimus, et sit etiam nobis ipsis superfuturum ; quin,
« multa esse quæ nunquam viderimus, nec tetigerimus,
« neque ullo alio modo perceperimus, quæ etiam nullus
« homo unquam perceperit. Exstat igitur aliquid, quod,
« dum ceteræ res perceptæ transeunt, perdurat, quod,
« dum eæ mutantur, unum ac semper idem permanet, quod
« nobis vel scientibus vel nescientibus per se existit : quod
« cum sentiatur, nostræ menti apparet velut aliqua extra
« nosmetipsos existens substantia » (1).

At mihi meam mentem introspicienti, quomodo illa alicujus extra nos existentis vis notitia concipiatur, fingere facile est. Nam quæ de exteris rebus scio non modo e perceptis in præsenti tempore constant, sed ex eis minime, et præter eas maxime ex illis quæ variæ et innumerabiles fieri possunt. Scio enim, ut exemplum adhibeam, si Lutetiam eam, Nostram Dominam juxta Sequanam me esse visurum, et si pontes transgrediar et has atque illas vias sequar, in Sorbonenses ædes adventurum ; scio cras ut hodie aquam frigore in glaciem verti, calore effervescere posse, id est me pro tempore id atque illud esse percepturum, aliud visurum, aliud auditurum. Quæ omnia possunt percipi et permanent quæ semper et ubique percipi possint, et apparent quæ post meam mortem, etiam post omnium animantium mortem permaneant. Hæc autem omnia uno verbo vocamus exterum mundum, idque verbum, ut solet, nos fallit, ita ut res, dissimilibus verbis appellatæ, dissimiles ipsæ nobis videantur.

(1) Mill. ibid., p. 214.

VI. — Ea tamen non est una causa cur extra nosmetipsos existentibus rebus fidem (quâ quidem decipimur) adhibeamus; altera enim eminet propior et facilior. Nam nunquam singula sentimus, sed nostri sensus ad eamdem perceptionem quodam modo ita conspirant, ut perceptiones aliæ cum aliis, ut ita dicam, consocientur. Itaque necessitate quâdam ad id adducimur ut putemus summam esse veriorem quam singulas perceptiones. « Summa enim « apparet ut aliquid permanens... quasi permanens substra- « tum, quod subducunt oculis rerum fugaces perceptiones « et fugitivæ species » (1).

Accedit denique illud: animi perceptiones aut potius conglutinatæ perceptiones existunt simul aut vicissim, at semper certâ ratione, ita ut alias aliarum esse causas dicamus. Quæ ratio omnino extra nosmetipsos se præbet. Quid inde? « Paulatim ad id inclinamur ut perceptiones ipsas, « quamvis omnia ex eis constent atque in eis residant, esse « aliquid fortuitum, » ea contra, quæ fieri possint, esse veriora quam ipsas præsentes perceptiones putemus. Quin, miro mentis errore, ea ipsa quæ fieri possunt res videntur quæ exstent per sese, cum omnia cetera eas declarent et interpretentur.

Inde quæque animi perceptio statim a nobis ad hanc aut illam summam, ut ita dicam, rerum quæ fieri possunt, assignatur. « Summa autem summarum apparet quasi per- « manens et stabile solum », ex quo, ut e causâ exitus, nos-

(1) Ibid. p. 216.

træ et præsentes perceptiones uberâ varietate gigni et efflorescere videntur.

Ita se habet Millii de exteris rebus doctrina, breviter expressa et ad præcipua redacta.

CAPUT III

VII. — Illa autem doctrina perlucenti oratione explicatur, neque unquam in docendo aliquid prætermittitur quod jure reprehendas, cum contra argumentis undique te premat subtilis disputator. Quæque enim demonstrare aggreditur ea demonstrat.

Quocirca miror eumdem esse tam acutum et diligentem in reprehendendis adversariis, hebetem et negligentem in suâ ipsius doctrinâ dijudicandâ. Hoc autem vitium ad absurdam studendi rationem est referendum, quippe quæ ejus animo nullam relaxationem, nullum otium concederet; at sine ullâ intermissione se intendebat ad nova studia, nec tamen priora perfecerat, ita ut nunquam opiniones ad maturitatem venire sineret. Quid inde ? Magnum et candidum ingenium nobis mirantibus post quadraginta annos in assueto labore consumptos idem permanere apparet ac fuerit in primo vitæ curriculo : nullus in eo processus, nulla mutatio aut conversio, at in τῇ ἐμπειρικῇ sicut in arce se munivit, ad quam tuendam deinde semper enixus est et contendit, quasi jussu de quo disputare sit interdictum.

Itaque existimat munus suum explevisse cum alicujus rei rationem reddidit doctorum modo, id est cum singulas res, e quibus summa constet, enumeravit : non ultra per-

git. Qui autem philosophans ibi consistit in mediâ ipsâ viâ considit. Interea cur exteras res esse credamus se explicare cogitat, cum illam fidem ad istas perceptionum summas quæ fieri possunt, reducit; quæ sane apud illum ut aliquid occultum et obscurum se proferunt, utpote minime in aliquid quod sit certum innitentes. Deinde, postquam de *exspectatione*, et postremo quo modo animi perceptiones simul aut vicissim at semper certâ ratione existant, disseruit, tacet nosque relinquit.

Neque unquam has perceptionum summas perspicit nihil aliud esse nisi verba tantùm et inanes voces. Quid enim esse possunt res quæ non sunt reverâ, quæ tamen ita permanent ut fieri possunt? Verba tantùm, iterum dico, et inanes voces. Quid etiam ista exspectatio, nisi exstet mens una et eadem et suî conscia ut unius et vigentis dum res sentit? Quid denique ista certa ratio, quâ res simul aut vicissim existant?

VIII. — Illas autem tres res, de quibus ambigitur, Millio acriore ingenio eas introspicienti unam esse mox apparuisset.

Etenim reverâ omnia quæ ad exteras res pertinent, in hâc certâ ratione constant, quâ res existunt simul aut vicissim. Itaque cum Millius dicit perceptiones esse quæ fieri possint, affirmat nihil aliud nisi quibusdam rebus factis quasdam alias ex omni necessitate factum iri. Cum autem de exspectatione tractat, affirmat idem ac semper idem.

In hâc autem ipsâ necessitate (quâ coguntur res vel simul

vel vicissim) resident omnia quæ doctrinæ, cui e perceptionibus constant exteræ res, sunt impedimento.

Sed miror Millium, omnia per consciam mentem explicantem, illam quæstionem non aliam esse atque utrum conscia mens sit simplex necne, fugisse.

Attamen non proprio motu, sed stimulantibus eum adversariis, et quasi invitus confitetur : « quâtenus exspectatio postulat mentem unam et consciam, postulo etiam « hanc mentem unam et consciam » (1). Sed statim obliviscitur totam suam de exteris rebus doctrinam exspectatione velut fundamento esse fretam, et transit ad aliud, nec intelligit quanti discriminis sit concessio quasi rerum veritate ei expressa.

IX. — Nos autem illam concessionem in memoriâ custodimus et mox videmus Millium litigantem valde obscuris verbis et impeditâ linguâ, cum tandem cogitur ad veritatem videndam cui repugnat, quia, si fateretur se eam videre, tota ejus doctrina jaceret eversa. Scribit enim : « memoria « et exspectatio non sunt quarum ad similitudinem aliquid « in corporum materiâ invenias, nec in elementa resolvi « possunt, in quæ materiam resolvunt ii, qui eam e percep- « tionibus constare volunt » (2).

At Millium fugit unum ex his elementis, in quæ a se materia resolvitur, esse exspectationem ipsam !

Sed pergamus : « Hæc præbeo utpote quæ non intel-

(1) Ibid. p. 246.
(2) Ibid. p. 248.

« ligi possint... et talia linquo qualia se proferunt » (1). Deinde plura complectens affirmat exspectationem esse tantùm memoriæ proprium (quod falsum mihi videtur, cum contra memoria sit aliqua pars exspectationis) (2) et declarat memoriam, id est « mirum vinculum, quod in conscien- « tiâ res præteritas et præsentes connectat, esse verissi- « mam imaginem, ad quam unam et consciam mentem fin- « gere valeamus. » Et addit hæc verba (3), quæ apud illum mira videbuntur : « Persuasissimum habeo in hoc vinculo « esse aliquid verum, ut in ipsis animi perceptionibus, nec « tantùm mente ipsâ fictum et nullâ re verâ fretum, » et infra : « Equidem concedo mentem unam et consciam « reverâ constare extra res quæ permanent ut fieri pos- « sint. »

Nunc tandem, ut videtur, summum verticem ascendimus, ex quo jam huc atque illuc longissime oculos conjicere possumus. Neque erit mora quin noster philosophus uno tenore eamdem rem agi de exteris rebus et de mente demonstret. Res enim exteræ, velut mens ipsa, nihil sunt aliud nisi perceptiones quibusdam necessariis et universalibus modis conglutinatæ (velut aliæ ex aliis ortæ) et philosophanti una quæstio reipsâ existit, id est quomodo et unde orta sit illa necessitas. At cum exteræ res in consciâ mente tantùm existant et mens ipsa e rationalibus legibus tota constet, satis apparet philosopho, ut Millio, doctrinâ

(1) Mill, *Philosophie de Hamilton*, p. 249, init.
(2) Cf. J. Payot, *de la Croyance*, p. .....
(3) Mill. ibid, p. 250.

imbuto, cui exteræ res e perceptionibus constant, non duo quæstiones esse, sed unam, scilicet de mente.

Et ipse intellexit hæc suam doctrinam necessario consequi, quippe cum in verbis, quæ modo retulimus, viderit quanti momenti sit vinculum, quo res præteritæ cum futuris connectuntur.

Sed mirum est Millium Kantii doctrinâ de exteras res cognoscendi modo (quæ tamen legum necessitati, quibus res gubernantur, tota innititur) non adductum fuisse, ut illius vinculi naturam altiùs perscrutetur. Hic profecto Millius infirmum se præstat. Attamen omnia conspirabant ut huic rei, haud sane parvæ, diligenter studeret.

X. — Nam, ut supra diximus, ut quomodo fides perceptis rebus adsit explicet, *exspectationem* et *cogitationum juncturam* fingit ; quas adhibens omnia dilucide explanat, nec aliquid prætermittit, quod reprehendatur, nisi id tantùm, videlicet quæ sint exspectatio ipsa ipsaque perceptionum junctura, quæ totum ædificium quasi fulciunt ! Quas quoque explanare si tentavisset, vidisset perceptionum juncturam mentem patefacere, quæ et eam juncturam efficiat et ad exspectationem ipsa sit prona ; hanc autem exspectationem mentis vim ipsam continere, nec esse aliquid cujus in exteris rebus aliquam similem vim invenias, nec quod ad eas reducas, sed, quia res semper et ubique certâ ratione vel in tempore vel in spatio cohærescant, fieri ; ut idem Millius non hoc mirum contendisset, hanc rationem esse ita falsam opinionem, ut nihil obstet

quin alium mundum, qui eam effugiat, fingamus: « Habeo « persuasissimum quemvis, in philosophicis quidem rebus « et in abstrusis meditationibus versatum, dummodo ad « hoc omnes animi vires contendat, opinioni quam dico « mentem magis magisque assuefacturum esse, ut res in « aliquo innumerorum siderum, e quibus mundus astro- « logis constare videtur, fortuito casu et sine certâ ordinis « lege posse fieri libentissime credat. Et reverâ nihil neque « in exteris rebus, neque in nostræ mentis naturâ inest, « quod omnino aut etiam aliquo modo vetet, ne res alicubi « ita se habere putemus » (1).

XI. — Hæc verba maximi sunt momenti, cum nos Spencero, cum Millii doctrinam velut ad Pyrrhonis præcepta redeuntem aspernit, assentiri cogant. Etenim si lex, quâ exteræ res quasi ferreo vinculo vinciuntur, nullam in se habet necessitatem, et e felici sed adeo fortuito rerum concursu oritur, ut cras in perpetuum disturbari ac dilabi possit, mens, quam Millius e perceptionibus modo constare contendit, funditùs evertitur, quippe cum sublatis perceptionibus tollatur mens et ipsa. Quæ tamen nunc quoque fortuitâ rerum conjunctione stat. Quid igitur? Vanum et fugax somnium somniamus, nedum vitam vivamus, et omnia somnium. Hoc autem instabile et casu ædificatum opus si ruit, omnia jacent eversa, nec jam superest nihil firmum. Itaque Millius sibi constat, cum vehementer monet ut omnibus gaudiis perfruamur, et virtutem nihil aliud

(1) Mill, *Logique* II, cap. XXI.

nisi voluptatum solertissimam contentionem esse profitetur (1).

XII. — Sed feliciter nobis evenit ut Millius vana neque unquam rata futura oracula canat. Nam nullo modo confuse ac sine certâ ordinis lege se præbentes res animo percipere possumus, quippe cum baculum unam extremitatem habens aut triangulum e duobus tantùm angulis constans facilius animo perciperes.

Nonne enim omnis perceptio, vel simplicissima, aliquâ rerum ratione, eâque stabili freta apparet ? Nonne glaciei perceptio, ut exemplum proferam, ex hoc frigore semper et ubique cum hoc perlucido visu permanente constat ? At si eadem glacies tum frigida et gravis, tum calida et levis videretur, et si ceteræ res eodem modo sine ullâ intermissione mutarentur, nulla perceptio ex eis fieri posset ; quin etiam, nulla communis notio, siquidem hæc rebus in genera divisis innititur, nec rerum in genera divisio, nisi res certâ et permanente ratione cohærentes modos præbent, effici nequit. Ex quo fit ut sensus et mens ipsa tantummodo valeant, si res semper et ubique eædem certisque legibus vinctæ vel simul vel vicissim permaneant.

Hoc autem dignum est quod notetur, res non certâ ratione vinctas mullo modo intelligi posse, eum autem qui chaos intelligi putet, inscientem res fractas sejunctasque tantùm miscere, sed omnino inordinatas nullo pacto concipere posse.

(1) Mill, *Utilitarisme*.

Id vero Millii de exteris rebus opinionem funditùs evertit, et jure Spencerus ab istâ rerum soliditatem dissolvente doctrinâ, quamvis ex quâ parte sit infirma non plane viderit, vehementer abhorruit. Nam Millius, ut dixi, cum exteras res e nostræ ipsorum mentis perceptionibus constare dicit, reverâ illas interimit ad nihilum.

XIII. — Age vero nunc aggrediamur Spenceri doctrinam, quæ fortasse nobis cumulatiore mensurâ de exteris rebus satisfaciet. Tum demùm exponemus quid nosmetipsi de illâ, haud sane parvâ, quæstione sentiamus.

CAPUT IV

XIV. — Cum vero Millius summis viribus negat substantiam quamdam per se existere, ad quam exteræ res referantur, Spencerus contra credit aliquid ignotum et absconditum nobis undique circumfundi: in eo nascimur, movemur et sumus.

Itaque a principio instituit ut « quæ perceptiones menti « videantur esse corporum qualitates, ut ipsa gravitas et « ipsa soliditas, non sint aliud nisi mentis ipsius affectus, « sed emissi quibusdam exteris rebus, quæ nec sint cognitæ « nec cognosci possint. » Quin neque ulla perceptio, neque ulla perceptionum summa « potest præferre aliquam simili- « tudinem vel cognationem hujus causæ, quæ extra « mentem jacet. » Sed quanquam qualis sit ea vis, quæ res manifestas efficit, scire nequimus, « quanquam ne « obscurissimam quidem ejus imaginem fingere valemus, « tamen necesse est illa semper et ubique exsistat, quâ « sublatâ omnes res statim evanescunt. Etenim omnes « sensarum rerum imagines, omnes cogitationes pereunt; « perit ipsa tota vita, quæ ex his constat; res etiam inter « quas vivimus, etsi tardiore cursu fugiunt, tamen « mutantur. Quid sequitur? Comperimus unam esse rem « superstitem atque æternam, scilicet hanc rem ignotam

« et absconditam, quâ omnia mutabilia et caduca gignun-
« tur » (1).

XV. — Nostro autem philosopho si fidem adhibeamus, ineluctabili necessitate arcemur ab illâ ignotâ vi, quam nunquam attingere poterimus. Nam quomodo aliquid percipimus, nisi sensibus, qui tam hebetes et tam tardi sunt, ut omnes res sibi subjectas depravent, nedum vim quam diximus complecti valeant?

Quod facile demonstrare licet. Etenim mens tota e perceptionibus, vel singulis vel in tempore aut spatio ordinatis, constat. Hæc igitur quasi mentis elementa vicissim inspiciamus quo vinculo connectantur exteris rebus aut potius ipsi vi absconditæ et generanti.

Primùm perceptiones, quod ab exteris rebus nascuntur, non inde sequitur quales sint et quantæ. Has enim atque illas minime æquas aut certâ ratione congruentes inveneris; at alii sensus, aliæ perceptiones.

Idem recté dixeris de vinculis quibus perceptiones connectuntur, et Spencerus dilucide demonstrat spatii notitiam sensuum naturâ et toto genere corporis habitu mutari.

Itaque animi perceptiones nullam habent fixam et quasi decretam conjunctionem cum exteris rebus, quibus gignuntur, neque ullam rerum similitudinem præbent imagines. Has tamen ex illis oriri affirmare licet, sed id tantùm. Ipsis autem de exteris rebus nihil dicere possumus, nisi eas esse.

(1) Spencer, *Psychology*, § 475.

Hoc tamen dignum est quod notetur Spencerum, simul cum affirmet nihil esse certum de rebus, e quibus omnia procedant, non dubitare tamen quin eas perceptionum non esse similes declaret. Sed id ita parvum cognitum habemus, ut eas ignotas et absconditas esse dicat.

Ita Spencerus probat primo mentem, quæ rerum videt vanas tantùm et depravatas imagines, captivorum modo, quos Plato fingit in specu vinctos ; secundo res ipsas ignotas atque in æternum absconditas. Hæc est mira doctrina quam ipse nuncupat « *Réalisme transfiguré.* »

XVI. — Quam si diligenter inspexeris, invenies eam neque exteras res ad animi perceptiones reducere, nec rursus perceptiones ad aliquas res per se et extra mentem existentes. Spencerus enim animadvertit, ut omnes quidem philosophi, omnia quæ cognoscamus simul et in mente et in exteris rebus esse posita. Sed ei non venit in mentem hanc etiam cognitionis partem, quæ ex extero fonte manare videtur, ab interiore nostrâ naturâ explanari posse, eâ ratione quam deinceps scripsimus. Nec videt suam doctrinam, cum aliquid ignotum et exterum et sensus nostros movens fingat, philosophis assentiri, qui animam corpus esse prædicant, neque ullius rei rationem reddere, si quidem is nullam rationem reddit, qui causam esse ignotam et absconditam declarat. At in mediâ ipsâ viâ subsidit, nec rem expedit, sed recusat ; nam parvo contentus inanibus verbis difficultatem eludit. Sic rerum naturæ perspicax et acutus speculator, ubicumque ea relinquit, quæ ad phy-

vitas scientias pertinent, obscuriora multo caligat, et hinc exemplo, pateat quam hebeti ingenio sint Britanni in studiis quæ naturales res transgrediuntur, quibus contra pollent Germani.

At jure dixeris Spencer nullo modo doctrinam, quæ externas res e mentis perceptionibus constare vult, intellexisse, quippe qui eam ut scientiarum fundamenta evertat contemnere putet, nec dubitat enim dicere (1) : « Quæ si « doctrina prævaleret, esset tantùm vanum somnium « Darwinii doctrina. »

XVII. — Ex quo jam satis apparet Spencerum doctrinas quas diximus, non tam studium adhibere, quam bellum denuntiare, neque tam placido animi habitu se præstare, ut adversas doctrinas plane intelligat.

Primum a principio dicit eas esse « pseudo-[illegible] », quasi despiciens et significans somniorum vanas species. Attamen ipse quoque « metaphysicus » esse videtur, siquidem res, de quibus agitur, non sunt e solidis corporibus, sed quæ sensus superent conjectura finguntur. Tum in multis capitibus congerit argumenta nullius ponderis, et sane spernenda.

Nam primum doctrinam, qui externas res e perceptionibus constare volumus, reprehendit, quod mentis testimonium majoris æstimet quam sensuum, et se faciat multiplex et plura continens factum esse luculentius simplicius et uno facto. Quod certe mirum apud philosophum qui maxime

(1) Spencer ibid. I. 287.

inter omnes animadvertit et demonstrat quædam esse non tam simplicia quàm consciæ menti videantur, at contra imagines et perceptiones, quæ tamen simplices et unas se proferant, quasi frangi et in permulta elementa diffundi posse. Ceterùm etiamsi ejus adversarii in hoc errent, quid prodest id leve certamen ? Nihil est in animi perceptionibus quod Spencero proficiat, cum adversarii tantùm prætendant pravam fidem esse amovendam, quæ unà cum perceptione rem aliquam perceptam, ignotam et extra perceptionem fingit. Itaque Spencerus jam nobis vitioso argumento, quod dicitur « petitio principii », uti videtur.

Non multa dicemus de argumentis, iis quidem valde imbecillis, quæ opponit, cum animadvertit communem sermonem non valere doctrinam quam dicimus exprimere; quasi communis sermo vel in rebus, quas « μετὰ φυσικάς » nuncupamus, versaretur, vel, si versaretur, quid vulgus sentiat de iis,quæ non multitudinis suffragiis permittuntur, interesset.

XVIII. — Attamen non possumus nos tenere quin animadvertamus Spencerum in viâ illam rem ignotam, quam cuique perceptioni quasi hærentem videt, sic exprimere, ut adversariis validissima arma præbeat. Etenim quærit quid sit in mente hominis imago, et ostendit hanc necessario esse imperfectam et mutilatam, utpote unum tantùm inter innumerabiles aspectus, qui cujuscumque hominis fieri possint. Nam « ut nihil dicamus de ipsâ luce, « quæ, ut splendet talis aut ita magna, res mutare maxime

« valet, licet nos affirmare unius imaginis oculis perceptæ « posse fieri plus quàm centena formarum millia, quæ sint « inter se tam similes, ut ab unâ ad alteram per imperceptos « gradus facile transieris, at eædem tam dissimiles quàm « excogitare possis » (1).

Quæ cum ita sint, quid sensus nobis ut hominis effigiem afferunt? Non quidem unam e multis, qualem fors obstulerit, nostræ mentis perceptionibus: neque unam, qualem voluerimus et jusserimus, ex imaginum summâ, quæ fieri possunt. Ita ut Spencerus ad illam miram doctrinam (quam attingit quidem leviter, nedum excutiat, quippe qui sentiat eam et esse ineptam et controversias serere in posterum) adducatur : sensus nostros ad *Hominem ipsum* tendere, id est quamdam essentiam, quæ non ipsa a nobis percipiatur, sed laboret ut in centena formarum millia, quæ sensarum rerum sint imagines, sese ipsa convertat. Deinde Spencerus breviter omnia concludit et quàm celerrime angustias evadit, nec nobis indicat quomodo natura abscondita, quam informat, cum rebus congruat, quoque modo ab eâdem aliquam perceptionem sumere possimus. Illum autem hominem verum, absconditum et ignotum intelligit, quasi sit aliquid in spatio se movens, quod, utcumque locum mutamus, adspectu commutetur et ipsum. Quæ doctrina, si quid significat, non aliud significare posse mihi videtur, nisi animam corpus esse. Interea miror Spencerum Platonis doctrinam de Ἰδέαις, eam quidem deformatam, occupare, et mutabilibus mentis perceptionibus supponere naturam

(1) § 394.

immutabilem, ad quam unam referantur plurimæ cujusque rei sensibus perceptæ imagines. Sic Spencero sermonem a doctrinâ, cui res ex animi perceptionibus constant, abhorrere contendenti accidit ut suam ipsam enuntiare nequeat, et ejus præcipuam difficultatem effugiat. Sed nobis nec tam properantibus, neque æquo animo ferentibus omnia non plane explicari, concludere libet quod ex ejus propositis sequitur neque ab illo enucleate expromitur.

Dicit enim : « Cum dico hanc perceptionem, quem homi-
« nem appello, plurimarum et semper in mente mutatarum
« imaginum e summâ constare, nihil aliud affirmo, nisi in
« pluribus unum consistere... quælibet perceptio significat
« simul et aliquam causam unde veniat et aliquam mentem
« quâ recipiatur... At hæc atque illa separatæ et alienæ
« existunt » (1). Id est, ut iterùm dicam, perceptiones aliquâ causâ a mente percipiente sejunctâ gignuntur, quæ causa *per sese* existit. Ceterùm Spencerus hanc quamcumque causam per se existere persuasissimum habet. Sed eum fugit, cum aliquid esse extra perceptas res se confirmare putat, reverâ ad mentem plura reducere quàm ipsos adversarios. Nam si nostra mens res, quæ per se existant, concipere non potest, quæ fides extero mundo et sensibus percepto, nobis est adhibenda ? Nonne vanum somnium is esse videtur ? Etenim res ignotæ et per se existentes perceptarum similes esse non possunt (2). Quid igitur ? Omnia quæ vidimus, audimus, tangimus, ut vana somnia apparent.

(1) § 394.
(2) §§ 79, 80.

Et vana etiam somnia ipsi doloris morsus, voluptatum illecebræ, rationis consilia ; quæ corpore dissoluto, statim evanescent, cum contra natura ignota et abscondita omnium sensarum rerum super ruinas stabit et permanebit. Quæ si e similibus partibus constaret, semper eodem modo nostros sensus excitaret, ut nihil sentiremus. Sed cum animi perceptiones plurimæ et variæ sint, inde sequitur ut hæc natura permanens absolutaque in se varietatem habeat.

Ex quo apparet Spencerum, sicut Millium, quanquam corporum e naturâ egredi nollet, invitum res μετὰ φυσικάς aggressum fuisse, sed depresso et quasi ad terram demisso Britannorum ingenio mediocriter tractavisse. Nam ad hanc naturam perobscuram pervectus, stetit, nedum ultra progrederetur, et rationis viribus innixus, ad Platonicam doctrinam (quâ quidem Spenceri doctrina est quasi prægnans) perveniret. Neque intellexit suam, qualem ipse præberet, exterum mundum evertere, et semetipsum, ut iterùm dicam, cum aliquid esse extra perceptas res confirmare putaret, reverâ ad mentem plura reducere quam ipsos adversarios, qui saltem exterum mundum esse, qualem percipimus, confitentur.

XIX. — Nunc autem pergentibus se offert caput « de « philosophorum, qui res μετὰ φυσικάς tractaverunt disse- « rendi ratione », quod adversùs Humium et Kantium leve quidem nec ad ea, de quibus agitur, pertinens certamen suscipit. Nam non est nostrum horum philosophorum doctrinas defendere, qui si non convenientibus verbis usi

sint, quid et doctrinarum eorum ipsarum et præsertim nostræ interest? (1).

Deinde invenimus profluentem loquacitatem et ineptias valde spernendas, quibus doctrinam suam adversariæ multo antecellere et antiquitate, et simplicitate, et (quod mirum est, quippe cum eam nemo intelligat) lucido habitu demonstrare conatur.

Tum pervenimus ad præcipua et maximi discriminis argumenta, quæ de extero mundo controversiam longe transgrediuntur. Nam in his Spencerus ad signum captandum enititur, quod unde stet verum indicet et ipsius incorruptissimum aurum ab adversariorum ære vilissimo sejungat.

Oportet igitur nos « invenire aliquem mentis habitum, « qui ante alios fidem rapiat... aliquod præcipuum mentis « factum, quod omnibus ceteris factis auctoritatem disper- « tire valeat » (2). « Quod signum cum invenerimus, nihil « jam obstabit quin experiamur argumenta, quàm firma « sint, quibus ad doctrinam, cui exterus mundus e per- « ceptionibus constare videtur, augendam aut rursus affli- « gendam utuntur ».

XX. — Spencero autem hoc validissimum signum existit *cum opinionem negari animo excogitare nequimus*, ita ut cuilibet affirmationi tutissima cautio addatur, si omni modo eam esse falsam animo excogitare nequeamus. Sed noli

(1) §§ 396-402.
(2) §§ 415, 416.

permiscere *quod animo excogitare nequeas* cum eo *quod credere nequeas*. Nequimus enim, ut exemplum proferam, credere telum Româ conjectum in Pontum Euxinum cadere, sed nihil est in hoc quod non animo excogitemus. Animo excogitare nequire, id est, etiamsi omnibus viribus in aliquid animo percipiendum nos intendamus, nullo pacto id efficere posse. At licet Spencerus, in hoc contra Millium contendens (1), doctrinæ suæ paulatim perfectam formam dederit, tamen fatendum est hoc veri signum, quod celebrat et venditat, recidere ad aliquid sane parvum et exiguum.

Primùm enim illud non valet in sententiis aliquid compositis, sed tantùm in omnino simplicibus, quæ in plures solvi nequeant. Nam « in simplicissimis tantùm perceptio-« nibus aut excogitationibus, quomodo inter se connec-« tantur, mens protinus judicare potest » (2). At Spencerus imprimis quantùm mens erret denuntiavit; nec jam ullum fugit, Spenceri præsertim operâ, imagines, quæ simplices et unas se proferunt, reverâ e permultis partibus constare. Itaque altero veri signo opus est, quod quando primum valeat, nobis indicet.

XXI. — Quod Spencerus ipse confitetur cum declarat illud signum tantummodo valere, si a gravibus philosophis usurpetur. « Multi enim non sunt, qui mentis imagines, « nisi forte nonnullas simplicissimas, recte interpretentur, « et ipsi ceteri (quæ sane maximi momenti concessio nobis

(1) Mill. *Logique* L. II. I. VII.
(2) Spencer. *Psychol.*, § 428.

esse videtur) sæpe non possunt cavere, ne aliquid cons-
« cientiâ affirmari credant, quod, si acriore animo consi-
« deravissent, alienum a mente vidissent ». Ex quo nobis quærere licet utrum in hâc aut illâ re isti veri signo fidem jure adhibeamus.

Novo igitur signo opus est. Quod videt Spencerus, cum tandem bene disserendi leges perrumpens, ad omnis præteriti temporis usum et consensum confugit. « Ex hoc
« enim consensu apparet exteras res semper in mente
« nostrâ eodem modo impressas fuisse, ita ut eâdem ratione
« constitutâ et a patribus filiis transmissâ semper in mente
« existant simul aut vicissim, neque aliæ et contrariæ
« animo excogitari possint ».

At Spenceri de memoriâ excidit ipsum nuper contra suam doctrinam grave argumentum paravisse, cum affirmavit fere neminem ad bene observandum esse aptum, denuntiavitque istam pravam animi propensionem, quâ libenter res, quæ nostris opinionibus repugnant aut tantùm eas non confirmant, omittimus. Itaque priusquam omnium ætatum innumeros testes citaret, juvabat eorum testimonium non enervâsse et suspectum fecisse.

Utcumque res se habet, quod aliquid esse falsum excogitari nequit est inane signum « quippe quod, sicut cetera,
« ducat ad falsa eorum mentem, qui sive inscitiâ, sive
« incuriâ eo utuntur (1) », et ad conclusiones, quæ semper eædem permaneant, « tantùm eos qui illud accurate adhibeant ».

(1) § 434.

XXII. — Ex quo manifestum est istud veri signum, ut Spencerus ipse confitetur, ubique ac semper non valere, neque in hâc aut illâ re summâ fide adhiberi posse. Quanto majore nostro jure illud a Spencero, doctrinam, cui res e perceptionibus constare videntur, animo percipi posse negante, recte usurpari infitiabimur, præsertim cum philosophi, haud spernendi quidem, ut Millius, Banius, et antea Malebranchius, Leibnitius, quibus ego quidem assentior, ipsam Spencerianam doctrinam animo percipi posse negent. Spencerus autem nostram doctrinam animo percipere nequit, quia ab eâ ita abhorret, ut nunquam vel intento, vel benevolo animo ei studuerit. Quod si omni ope atque operâ enixus esset, non potuisset profecto se tenere, quin et ipse exteras res e mentis perceptionibus constare crederet. Quod mihi quidem evenit : nam ego quoque hanc doctrinam diu respui et adverso animo aggressus sum, neque, ut Spencerus, abstinui quin a primo negem, donec, cum Leibnitium meditarem, repente infirmam esse doctrinam, quæ exteris rebus aliquid ignotum et absconditum supponit, veram et divitem eam, quæ exteras res ex animi perceptionibus constare vult, plane manifestum habui. Itaque Spencero subirascor hanc nostram doctrinam toto genere animo non percipi posse, nec tantùm semetipsum et tempore præsenti eam percipere nequire dicenti.

Quin etiam, simul cum illud veri signum in simplicissimis tantùm excogitationibus valere confitetur, non dubitat idem in aliquid ignotum et absconditum, quod extra mentem existat, probandum vocare. Hæc ne tamen excogitatio

simplex? Imo mire composita, et quæ imprimis in res μετὰ φυσικάς cadat, et cujus similem mens consciâ neque unquam invenerit nec dijudicaverit. Etenim nunquam rustico persuadebis sub nivis specie aliquid ignotum latere, naturam quam nemo nec videre, nec tangere, neque audire possit; hic noster homo visum vix tenebit, atque illam absconditam naturam pro falsâ somniorum imagine habebit. Nam in his de rerum causis quæstionibus, quas Spencerus ad popularem approbationem defert, vulgus est alienum. Quod si judicium exerceret, relinquenda nobis esset Copernici doctrina, quippe cum vulgus solem terrâ stante circumferri consentiat; quam ineptam affirmationem Millius recte dixit « Spenceri de exteris rebus doctrinæ « esse omnino similem » (1).

XXIII. — Itaque illud veri signum, quod ubique ac semper non valeat, quomodo Spencerus de extero mundo rebus adhibeat, nihil curare nobis licet.

Nihilominus eum sequamur ducem, neque erit mora quin eum in totâ argumentatione a proposito aberrare videamus. Nam si depellamus, ut ille poscit « a mente « consciâ omnia quæ depelli possint, ita ut hanc talem « qualis priùs existeret, quam philosopharetur, efficia- « mus » (2), ac si rem quamlibet, hunc librum si velis, inspiciamus, « jam sentiemus hunc extra nos esse... « neque aliud esse in mente consciâ nisi hunc librum velut

(1) Mill. Cap. VII. § 3.
(2) § 438.

« aliquid extraneum perceptum. » Hæc autem libri utpote extranei perceptio nobis videtur simplex nec quæ dividi possit, ut id conscientiæ testimonium recusare nequeamus.

Itane vero? Imo magnum hic impedimentum fit Spencero, si quidem vel somnianti, vel hallucinanti, vel furenti conscientiæ testimonium eodem modo simplex videtur et imagines utpote extra percipientem se moventes præbet, quæ tamen ad nihil reverâ existens extraneum pertinent. Hæc omnia si quis reputet, mox perspiciet somnium, in quo omnia convenienter inter se cohærerent vigilantium a vitâ non afuturum fuisse.

Quæ si Spencerus ipse reputâsset, intellexisset se dixisse de libro, quem exempli causâ finxit, quæ a proposito aberrarent; nam ipsi quoque philosophi, quibus exteræ res e mentis perceptionibus constare videntur, librum extraneum esse credunt, neque ullus est qui conscientiæ testimonium recuset. Etenim idem exteras res ad mentis perceptiones reducere potest, neque insanire.

XXIV. — Sed nonne perspicuum est istud verbum « extraneum » speciem quasi corpoream præbere, nec verum exprimere? Nihil enim in mente perceptis extraneum esse potest, quod non sit simul extra consciam mentem, id est non perceptum. Res igitur ipsæ, quæ extra mentem esse videntur, reverâ sunt in mente ipsâ, sed quasi in spatio et in tempore jacentes percipiuntur.

Spencerus autem imprimis ostendit spatium et tempus non per sese existere, sed mente fingi. Quo magis illam

controversiam, quâ suam doctrinam firmare conatur, profluentem ægre fero, cum mihi venit in mentem illud, quod egregie et acutissime scripsit « de Animâ » et præcipue « de Rebus animo perceptis » (1) ; in quibus libris exteras res nihil esse aliud nisi mentis perceptiones in tempore et in spatio compositas, tam pulchre demonstravit.

Cur nunc igitur, hujus quasi lucentis veritatis immemor, a rebus mente perceptis ad obscuram et absconditam naturam evadit ? Cur verbo speciem quasi corpoream præbente illusus postulat quamdam essentiam extraneam et a mente alienam ?

XXV. — Imo, si minus imaginibus fisus esset, quas invitis nobis verba menti subjiciunt, non speciem quasi corpoream præbente, sed potius nihil per se significante verbo usus fuisset ; quippe cum aliquid extra nosmetipsos esse eo tantùm credamus, quod spatio fidem adhibeamus (quod contra nihil est per sese, sed mente allatum et totum, ut Spencerus ipse abundantissime demonstravit, toris nostris natum) (2), ita ut non aliquid extra nos existere, sed exteras res, licèt in nostrâ mente tantùm existant, in sese habere aliquam necessariam legem, quam mens explicare non valeat, dicere debeamus. Hæc enim fides, neque alia, quidquid perceptum sequitur, quam simplicem et ultro se proferentem et rectam et universam invenimus. Tum libri exemplum repetenti Spencero scribere licuisset : Si a mente

(1) §§ 314-357.
(2) §§ 330-599.

depellamus omnia quæ a nobis cogitantibus expelli possint, et imprimis istas extraneas et quasi corporeas species, quibus, cum mentis fines terminosque constituimus, non jure utimur, nihil aliud inveniemus in mente nisi hanc legem certam, quæ perceptiones regit nec mente explicatur. Hoc autem omnes philosophi (exceptis quidem, qui omnia esse corporeâ naturâ prætendunt : de quâ doctrinâ minime convenit graviter disputare), vel qui ex animi perceptionibus exteras res constare putant, vel qui perceptis rebus aliquid extraneum supponunt, conscientiâ affirmari consentiunt ; in eo tantùm inter se discrepant, cum quærunt unde, cur, quomodo exteræ res in mentem veniant, quod sane consciâ mente non explicatur, sed animi modo conjecturâ fingi potest. Hæc omnia plane vidisset Spencerus, nisi jam præjudicavisset, cum rem aggressus est.

XXVI. — Ceterùm ipse noster philosophus, cum quales sint exteræ res perscrutatur, nihil aliud reperit, nisi illas vicissim vel simul existere certâ lege, quam mens ipsa explicare non valeat.

Etenim, ut ejus mos est, argumenta confuse congerit, et rei perceptæ omnes modos diligentissime secernit, cum a tenuissimo ad validissimum discrimina vel minima describit. Quæ tamen manifestum est non omnia ejusdem esse momenti, sed maxima modo et quæ deleri non possint esse excerpenda. Nam si nostræ ipsorum mentis perceptiones ab ipsis exteris rebus vi tantùm et quasi splendore discreparent, in aleam perpetuam versaremur has atque illas

permiscendi ; cum sæpe in somnio fictæ imagines veris sed longinquis rebus perceptis vi et splendore maxime præstent.

Itaque Spencerus inter permulta discrimina, quæ diximus, his præsertim tribus (quæ saltem ad unum et a nobis nuper indicatum, scilicet exteras res certâ lege, quæ mentem effugiat, gubernari, reduci possunt) incumbit, cum animadvertit nos arbitratu nostro quales res se proferant et quâ ratione vel in spatio vel in tempore mutare non posse. Quæ distinctio sane penitus inspicienti infirma videtur. Nam quales res se proferunt mutare possum, siquidem, prout appropinquo aut recedo, species hujus sigilli mutatur, et maris fremitus augetur aut extenuatur. Sed hoc Spencerus discernere debebat res tamtummodo posse mutari quales et quo ordine vel in spatio vel in tempore se proferant, si nostri tori prius moveantur.

XXVII. — Quod quidem maximi interest, quippe cum animi perceptiones hoc præcipue ab exteris rebus discrepent, quod nobis nos moventibus illæ necessario simul mutantur, hæ autem non necessario.

Itaque ad rem, quam tractamus, pertinet non tam quomodo exteræ res vel in spatio vel in tempore mutentur, quàm quæ et cur. Nam simul cum movemur, illæ mutantur, ut quomodo plane prænuntiare possimus. Scimus enim, ut exemplum proferam, hujus arboris speciem eo magis magisque parvum fore, quo longius discedemus ; item, si Arcum scandamus, magnam Lutetiæ partem nos

esse prospecturos. Spencerus igitur, cum mentis validissimos modos ad immensum et ignotum aliquid refert, nihil aliud dicit nisi eos ex animi perceptionibus constare, quæ semper et ubique fieri possint.

XXVIII. — Nam nobis quamlibet penitus exteras res perspicientibus conspicuum est omnem in eis mutationem in nobismetipsis esse sitam, quippe quæ nostros motus sequatur.

Hi autem motus fieri non possunt, quin simul quemdam conatum mente consciâ perceptum excitent, ita ut nulla res me auctore mutari possit, nisi hoc conatu antecedente. Ex quo sequitur « exteras res, vel inertes, vel efficientes « perceptas, consciæ menti patefacere aliquam vim extra « mentem sane existentem, sed aliquo modo ejus simi-« lem. » (1).

XXIX. — Nunc tandem apparent quæ ex his omnibus argumentis colligi possint, a Spencero quidem in cap. XVIII exposita. Cui si fidem adhibeas, omnia, quæ de exteris rebus sentimus, ad duas maximi momenti perceptiones recidunt. Primùm res nobismetipsis offendentes percipimus: quæ perceptio præcipua, universa, semper præsens videtur et quasi « mentis sermo patrius ». Ex quo fit ut, si quid tibi offendens invenias, aliquid et extra mentem existens et quam materiam appellemus, perceptum habeas.

Quantùm vero Spencerum opinio fefellit! Hæc enim cujusdam offendentis rei perceptio, sicut ceteræ percep-

(1) § 465.

tiones, mente gignitur; quomodo fiat dilucide demonstravit W. James, (1) eique plane assentimur. Hæc enim extremis nervis inhæret, membris compressis et spiritu intercluso orta, et quam quæ maxime in corpore nostro sita. Quid igitur ceteris præstat in aliquâ exterâ absolutâque naturâ significandâ? Forsan quia constantissime se præbeat? Sed quo modo mentis, vel constans, perceptio aliquid extra mentem existens significet non intelligere possum.

Itaque istud de conatu argumentum nihilo magis nos quasi ex animi perceptionum carcere emittere valet. Nonne enim in somniis sæpe nitimur onera tollere, fores frangere, contra torrentem natare? Qui tamen conatus nullo modo aliquid esse, quod extra nos reverâ existat, significant. Spencerus autem, cum hoc de conatu argumentum venditat, nihil facit nisi dormientis somniis aut hallucinantis imaginibus aliquid per sese existens supponit.

Quid igitur? Quod res velut offendentes percipiuntur, nihil valet ut eas ad mentis perceptiones reducere desistamus.

XXX. — Nunc ad alterum argumentum, quo fretus Spencerus res extra nos per se existere credit, pervenimus; quod Spencero ejusdem momenti (2) atque prius esse videtur, sed reverâ huic longe antecellit, cum unum ad mentis perceptiones reduci non possit: de perceptionum ordine et quasi vinculo loquitur.

(1) *Feeling of effort, in Critique philosophique...*
(2) § 467.

Hic ordo ubique ac semper permanet, nec arbitratu nostro mutari potest, certis legibus naturæque fœderibus in æternum constitutus. Mirum est ut illud vinculum nihil aliud esse nisi rationem quâ res aliæ ex aliis oriri videantur et vel in spatio vel in tempore simul aut vicissim cohærescant, Spencerum effugiat. Effugit igitur eum unum et idem indagari et unde fiat ut res extra nos existentes appareant, et quomodo ratio, quâ ipsæ vel in tempore vel in spatio connectuntur, certam et ineluctabilem se proferat.

Hæc autem certa et necessaria ratio stat quasi rerum perceptarum fundamentum. Quæ si forte (quod fieri non potest) abrumperetur, omnia confuse miscerentur et perturbarentur; vita, quæ exteras res corpusquė certis ac semper eisdem legibus se gerere jubet, statim dilaberetur; sensus, qui res certo ordine vel simul vel vicissim permanentes tantùm capiunt, fierent inutiles; sermo et ipsa mens abolerentur.

Sed minime Spencerus illos nodos expedire poterat, qui, ut omnes quidem ejusdem temporis in naturæ rebus versati, scientiam et philosophiam valde dissimili modo res cognoscere non viderit. Etenim non intellexit scientiam studere non ut sciat, sed ut prævideat, et miscuit, quod etiam plerisque nostris æqualibus accidit, quæ scientia explicare se jactat (cum fere semper nihil aliud facit nisi aliquid fictum phænomenis supponit, quod sit eorum signum et ea cogitatu faciliora efficiat), et quæ philosophia conatur explicare, cum imaginem nostro commodo usur–

patam pro rerum verâ causâ et rectâ interpretatione non præfert. Spencerus autem non desistit esse doctus et in quæstionem de exteris rebus inconsulto doctorum rationem infert, rudem sane et hebetem in μετὰ φυσικάς rebus. Sic hæc scribit, quæ sunt excellentia, si τῆς ψυχῆς habitum modo exprimere vult, sed quæ ostendant nostrum philosophum minime scire qualis sit vera interpretatio, si hanc veram interpretationem præbere arbitratur : « Non pos-« sumus, inquit, mentem cogitatione fingere, nisi per « materiam. » « Scimus quantum sit x per y, quantum y « per x, ... et ita semper idem, ut nunquam nodum « expediamus. Etenim quidam hiatus inter cogitantem et « cogitatum, qui nunquam explebitur permanente cons-« cientiâ, obstat quominus illam ultimam naturam quoquo « modo cognoscamus, in quâ cogitans et cogitatum in « unum reconciliantur, § 273. Sic adducimur ad ea quæ « reverâ superiora consequantur, scilicet unam atque « eamdem quamdam ultimam naturam esse, quæ nunc « cogitans, nunc cogitata nobis appareat. »

Sed cum illa scribit Spencerus, e τῆς ψυχῆς rebus evadit ad res μετὰ φυσικάς et rationem, quâ in illis explanandis utitur, in his quoque non jure usurpat, quippe qui vanum signum et inanem imaginem pro verâ causâ et rectâ interpretatione ducat. Manifestum est sane materiam per consciæ mentis perceptiones earumque consensum totam explicari. Sed quomodo materia valet ut mentem explicet? Explicat quidem mentem doctorum modo, id est nostris oculis alicujus sine corpore rei corpoream imaginem subjicit. At

ducere istud rude signum pro verâ et reverâ interpretanti interpretatione non est gravis philosophi. Mens enim vere et plane materiam explicat, materia autem nihil valet ut mentem explicet ; ut mens sit ultima res atque unica et vera natura, quæ nullius rei alius sub specie exprimi possit.

XXXI. — Spencerus autem nec cogitationes suas nec præsertim orationem e verbis a doctis usitatis doctrinâque infectis, quæ omnia ipsamque mentem corporeâ naturâ esse contendit, solvere potuit. Sic irritum cadit ejus inceptum, quod, cum ad unam et divinam substantiam omnia reducat, opinionum, quæ nunc maxime vigent, una esse potuisset, si quam dives se præstet de rerum evolutione doctrina, et qualis reverâ sit doctorum interpretatio (id est modo inane signum) intellexisset. Sed fortasse id malum effugere non potest philosophia quæ in usu tantùm et experimentis omnia ponere profitetur. Nam qui, ut Millius Spencerusque, mentem suam formam suasque leges ab exteris rebus accipere credit, credit etiam, vel invitus, mentem secundas partes obtinere, primas autem aliquid ignotum et absconditum et a mente alienum, quo sensus nostri moveantur animique perceptionum ordo constituatur.

Hâc autem de vi ignotâ et absconditâ Spencerus aliquid (cujus quidem nullum testimonium affert) affirmat, cum eam perceptionum, quæ ex eâ procedant, aliquid simile aut etiam vicinum habere nullo modo posse declaret ! Sed

simul cum neque exteras res, neque rationem ipsam, quâ connectantur, reverâ esse quales mente percipiantur, profitetur, non dubitat quin has exteras res extra nos existere confirmet : « Illud unum permanet æternum, sed ignotum « et absconditum et rerum variis fugacibusque imaginibus « obscuratum (1) ».

Hæc autem doctrina quam vocat, ut supra diximus, « Réalisme transfiguré ».

XXXII. — Id profecto augendæ Britannicæ philosophiæ est damnum Spencerum non sibi constitisse. Etenim postquam spatium nihil esse per sese, sed mente fictum tam vehementer ac dilucide demonstravit, communi sermone illusus a semetipso inventa nihil jam pensi habet. Postquam doctrinam, cui exteræ res e consciæ mentis perceptionibus tantùm constare videntur, ab infirmo et vitioso sermone ortam esse contendit, doctrinam et ipsam, quæ perceptis rebus aliquid extraneum supponit, ab isto infirmo et vitioso sermone oriri non videt. Nec se prohibere potest quin extra nos existentium rerum imaginibus obcæcetur et hæc scribat : « Kantius non fuit suîmetipsius doci« lis discipulus ; quippe qui tempus et spatium nihil aliud « nisi mentis res percipientis modos esse profiteatur, quæ « affirmatio sane verbis singulis intelligi potest, sed neque « ipsa reverâ cogitari neque inde fidem habere (2) ».

Num idem philosophus hæc affirmavit quæ diximus, qui

(1) § 472.
(2) § 474.

tam pulchre de spatio disseruit, idque non per se existere sed mente creari tam perspicue ostendit ?

Sed Spencerum sibi repugnantem linquamus : hunc cum sese reconciliare nimis arduum. At saltem hæc quasi confessio magni momenti esse nobis videtur, cum nunc Spencerum spatii specie illusum et de exteris rebus obcæcatum fuisse intelligamus.

Sin aliter, non fuisset mora quin plane vidisset omnem gravem philosophum aliquam vim extra consciam mentem existentem neque ullo modo ejus similem esse repudiaturum.

Hæc enim nullum nodum solvit, imo alios nodos nectit : quæ sit ipsa, quo modo consciam mentem movere possit, et unde una atque eadem constet ?

Tum intelligere ei licuisset philosophos ad id adduci, ut inter duas doctrinas eligant : quarum una exteras res e mentis perceptionibus, sed æternâ et nostram ipsorum mentem supereminente ratione conjunctis, constare credit ; altera autem, qualem Millius scepticique exponunt, exteras res nihil aliud nisi nostræ ipsorum mentis perceptiones esse contendit.

CONCLUSIO

XXXIII. — Nonne autem doctrina excogitari potest, quæ exteras res ex animi perceptionibus constare prædicet, simul cum neque, ut Millii opinio, a Spencero jure reprehendetur, neque, ut Spenceri ipsius ratio, aliquid absurdum et absconditum et a mente alienum ejusque dissimile adhibebit.

Etenim tum Spenceri e libro « de Animâ » tum Millii et Humii et Kantii ex variis operibus hoc verum exstat et multo splendore quasi lucet : nos nihil aliud nisi mentis perceptiones vel singulas vel inter se quibusdam legibus vinctas mente comprehendere posse, ita ut inter vana dormientis somnia aut furentis hallucinationes et perceptarum rerum imagines nihil intersit vere proprium ; omnia autem esse perceptiones quibusdam vinculis inter se cohærentes et mente fictas. Sed dormientis perceptiones aliæ alias sequuntur sine ordine, et quasi vagantur, vigilantis autem stabili et necessariâ lege componuntur, ita ut quæque perceptio hoc aut illud spatii temporisque punctum obtineat non fortuito casu, sed antecedentium et comitantium perceptionum quasi jussu. Hic autem est rerum vel simul vel vicissim existentium necessarius ordo.

Et jure dico hunc ordinem esse necessarium, quippe qui

non penes nos sit, sed nobis impositus : exteras autem res quoque extra nostram ipsorum mentem legem habere nuper vidimus.

Idem ordo quoque æternus permanet et vitæ nostræ atque etiam humani generis diuturnitati longe superest : exteras autem res quoque permanere nuper demonstravimus.

Sic tota exterarum rerum summa huic necessario ordini innititur eoque explicatur.

XXXIV. — Qui vero fit ut hic ordo sit necessarius ? Hic sane cogimur ut, Spenceri modo, aliquid ignotum fingamus, non extra nos quidem existens, sed contra ita intimum, ut non quasi de mente exeuntes sed in nobismetipsis penitus intuentes id reperiamus. Quin etiam hanc vim menti cognatam simillimamque esse credo, nedum sit omnino dissimilis. Nam si menti omnino dissimilis esset, existerent duæ res, quas inspicientes quomodo altera alterâ utatur, excruciaremur. Ipse autem Spencerus etiam eo difficilioribus in impedimentis versatur, quo hanc vim magis ignotam et absconditam esse contendit.

Si contra mens huic divinæ naturæ similis et ex eâ delibata est, nullum jam discidium in rerum summâ inest, una tantùm quæstio inter se disputantibus philosophis superest, cum de exteris rebus controversia hujus majoris de ipsâ mente controversiæ aliqua pars esse videatur.

Equidem de hâc, quam propono, doctrinâ disceptare licet. Attamen, siquidem nemo aliquid certum producere

potest, nonne gravium est philosophorum doctrinam quam maxime perlucentem nec novos nodos nectantem præoptare? Spenceri autem doctrina tenebras obscuriores facit, cum contra si vim aliquam nostræ ipsorum menti similem eamque generantem fingas, statim expedieris nec jam de duabus hærebis, quo modo altera alterâ utatur; quod quidem a Spencero eluditur, nedum explicetur, et Cartesio ejusque discipulis magno impedimento fuit.

XXXV. — Nunc autem, ut quod ipse sentio explanem, primùm animadverto nos in exteris rebus nihil percipere nisi mentis perceptiones ipsas simul aut vicissim inter se vinctas, neque aliud præter eas esse indagandum. Sed philosopho eas ipsas penitus intueri licet, quales in mente appareant, et quali ordine connectantur. Tum videt spatium atque tempus nihil esse per sese, sed mente ficta, quippe cum, ablatis toris, non spatii tantùm sed temporis (quod nullo modo nisi spatii motûsque, id est aliquâ re motâ emensi spatii, sub specie concipere potest) perceptio statim evanesceret. Nam spatium tempusque e perceptionibus constant, quæ constant et ipsæ e nostrâ ipsarum mente.

Harum autem ordo, quo simul aut vicissim connectuntur et in hoc aut illo spatii temporisque loco collocantur, apparet extra mentem existens atque aliquâ vi a mente nostrâ alienâ ex omni necessitate impositus.

XXXVI. — Quod si unde fieret hæc necessitas Millius Spencerusque diligentius quæsivissent, cum a venerandis

veteribus, a Platone, ab Aristotele, a Malebranchio, a Leibnitio traditâ doctrinâ consensissent. Interea Millius struthiocameli modo, oculis compressis, impedimenta tolli non credidisset. Spencerus autem hoc fastigium, quod Leibnitius doctrinæ, quâ Cartesius mundum nihil aliud esse nisi ingentem machinam contendit, imposuit, doctrinæ suæ, quâ omnia paulatim per multa sæculorum millia ad perfectam formam nescio quo pacto accedere monstrat, imposuisset; cum illam ignotam vim nostræ ipsorum menti similem esse dixisset, et leges certas atque æternas, quæ mentem et vitam nostram et mundum regant, a mente divinâ, quâ nostra ipsa mens emittatur esse profectas et ex hâc in illam quasi translatas. Ita tota ejus doctrina quadrâsset, et idem intellexisset philosophos, qui exteras res e mentis perceptionibus constare affirment, neque aliquid ignotum extra mentem existere putent (quod stulte fingunt qui omnia corporeâ naturâ esse contendunt) non solùm exterarum rerum soliditatem non labefacere, sed contra unos hâc viâ e Pyrrhonis doctrinâ evadere; quippe cum non possint exteras res e mente constare dicere, quin simul ad divinam naturam, quæ ex se mundum et nosmetipsos quasi æternarum suarum legum fugitivos testes gignat, necessario adducantur, eamque tantùm exterarum rerum soliditatem tuentem reperiant.

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbonâ,
a. d. V. Nonas. Mai. ann. MDCCCXCV

Facultatis Litterarum in Academiâ Parisiensi Decanus
A. HIMLY.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX RERUM

IMPRIMEURS À ORLÉANS